

homines tanta præditos auctoritate ca-
dere potuissent. Ergo si nominum & re-
rum proprietati attēdemus, ea demum
illiberalis ars dicetur, non quæ vel in-
strumētorum fœditate, vel obiecti tur-
pitudine, vel actionis difficultate, quē-
uis vel leuissimum delicatorum Syba-
ritarum obtutum offendere posset. Fœ-
ditatem omnem nos homines, è terræ
puluere coagmentati, nostris corpo-
ribus circumferimus, & nil nisi cœnum
resipimus, nequaquam principiorum
nostrorum conditione, vel meliores,
vel nobiliores. Si ergo miserrimo cor-
poris ergastulo inclusi, neutiquam vel
illiberales vel ignobiles videri volu-
mus, an si circa nostræ conditionis ob-
iectum aliquod occupabimur, illibe-
rale quippiam tractare dicemur? Finis
spectandus est, qui nobilitat actionem
omnem & liberalem efficit, si liberalis
fuerit: illiberalem, si secus. Quanquam
igitur non imus inficias, si quæ sint ar-
tes circa externorum quorundam ma-
nualem operationem occupatæ, eas
mechanicas vocari, at nequaquam ser-
uas, sordidas, illiberales, nî vilis lucel-
li caus-